

D. T. O. M.
MANUDUCTIONIS APHO-
RISTICÆ
AD DISCURSUM ARTIUM
ET DISCIPLINARUM
METHODICUM
SECTIO QUINTA
in qua continetur
LOGICA

SUB PRÆSIDIO
M. THEODORI EBERTI
ORDINIS PHIL. DECANI ET S.S.
Linguae Professoris
extra ordinem,

Coronidis loco
Labore hiberno peracto
ad disputandum
publicè
proposita
In Academiâ Viadrinâ

à
Johanne Majo

Cassellano Hasso
Respondente.
ad diem 18. Martij,
In magno Philosophorum acroaterio

ANNO
Æræ Christianæ
M. D. C. X X.

Exscripta literis Viduæ Voltzianæ *et. XXVIII. 31.*
per Michaëlem Kochen.

Coll. diss. A
28, 31





PROOEMIUM

πρόομιον

DE LOGICA.

Quam disciplinam alij vel Luci, difficilia aperienti; vel Normæ, rationem humanam per certa loca dirigenti; vel Scuto, argumentis & punctis omnia probanti, munienti & defendenti compararunt: illam verè simul & eleganter Stoici, teste Laertio, nominarunt Περὶ γυμνῶν Sepimentum, quod circumductum est Philosophia atq; adeò omnibus disciplinis, tanquam ἀγρῶ παμφορῶ, in quo omnis generis plantæ ac fruges salutiferae & animæ pabula, uberrimè enata reperiuntur. Sive enim viminum, quibus sepes flectitur, intueamur nobilitatem; sive palorum, ad quos vimina alligantur, diversitatem: sive deniq; totius sepis, quæ circumducitur, utilitatem: jucundâ admodum imagine transferri possunt ad LOGICAM tanquam ad sepe disciplinarum compositissimam. Vimina sunt tres humanæ cogitationis gradus, quorum primus est simplicissimus, nimirum apprehensi unius tantum, simplicisq; termini: alter est conceptus duorum terminorum, quos cogitando inter se confirmamus: tertius est plurium terminorum conceptus, ab uno ad aliud cogitationem movens. Palis sunt varij Discursus, qui a priori requirunt terminum simplicem & Enunciationem: à posteriori Syllogismum & Ordinem. Περὶ γυμνῶν seu ut Lipsius reddidit, sepes circumjecta, est ipsa LOGICA, non ut literatorum hominum accessum prohibeat: sed ut Syllogismorum & ordinum palis firmata & cogitationum humanarum viminibus ligata vi-

Diogen. Laert. in Zenone

De tribus mētis operationibus Aristoteles 3. de anim. c. 6. Scal. exerc. 170 sect. 2. Mōlor. in præfat. 1. pr. anal.

Lipsius lib. 2. manu duct. ad Philos. Stoicâ dissert.

August. l. 2. de
doctr. Christ.
cap. 31.

Wesfenbec. in o-
rat. de stud. ju-
ris. Itidem late
Delrio de prin-
jur. cap. 1.

Mengum re-
fert Ioan. Ba-
ptista Montan.
part. 1. univ.
medic. cap. 2.

Partem nomi-
narunt Stoici
ap. Diogen. in
vita Zenonis.

Partum vocat
Zabarella 1. de
nat. Log. c. 3.
10. 11.

am monstret; sine qua nec latentia definiuntur, nec confu-
sa dividuntur, nec obscura discutuntur, nec principia reli-
quarum disciplinarum probantur. Hujus utilitatem com-
mendat Augustinus Theologus: Disputationis, inquit,
disciplina ad omnia genera questionum, quæ in literis sacris
sunt penetranda & dissolvenda plurimum valet. Necessi-
tatem induxit Joctus Wesfenbecius, qui Logicam cum E-
thica alas facit Jurisprudentia, quibus in arcem Themidos
volandum. Dignitatem in Medicina suavit Mengus Faven-
tinus, cum dixit: Non committam me manibus illius Me-
dici, qui ignoraverit Dialecticam. Taceo Philosophos, qui
tantam in Logica admirati sunt majestatem, ut illam non-
nulli pro parte, nonnulli pro partu agnoverint. Nos ite-
rum cum Stoicis $\Phi\epsilon\gamma\chi\alpha\upsilon\upsilon$ nominabimus, singulis aditum
ad amplissimos disciplinarum campos aperientem, fructusq;
in ijs suavissimos ostendentem: nec non ideam ejusdem de-
lineabimus, alijsq; discursibus nostris interseremus.

Augustin. lib. 1. contr. Crescon. Grammat. c. 20.

Hanc artem, quam Dialecticam vocant, quæ nihil ali-
ud docet, quàm consequentia demonstrare, seu ve-
ra veri seu falsa falsis, nunquam doctrina Chri-
stiana reformidat, sicut eam in Stoicis non refor-
midavit Ap. Paulus, quos secum conferre volentes
non respuit.

APHO

APHORISMI.

I.

Logica est habitus mentis organicus, docens in rebus omnibus per notiones secundas veritatem investigare. *Ex mente D D. Logicorum, Zabarella, Schegkii, Crellij, Bertij & aliorum.*

Cap. I.
De Præcognitionis Logica.

2. Hujus definitionis explanatio dependet vel ex parte generis, vel ex parte differentiarum, cum ex fine, tum ex materia simul inhæſionis & adæquationis summarum.

3. Genus est *habitus organicus*, quia non est propter se, sed propter aliud: nam nisi Logica se ad aliud subjectum reale applicuerit, nihilo erit utilior, quam malleus aut forceps in manu ejus, qui quod incutiat aut evellet, non habet.

4. Finis externus est *veritas*: quia si quæramus propter quid inventa olim sit Logica, aliam causam invenire non licet, quam ut animum in cognoscendo ab errore vindicemus. *Unde Strabo testatur totam Philosophiam plenam errorum fuisse, quamdiu defossa jacuit Logica Aristotelis. Vid. Strabon. lib. 13. Geograph.*

5. Materia inhæſionis est *hominis intellectus*, cujus operationes Logica proportionem quadam dirigit: videlicet per notiones secundas, quæ rebus non connascuntur, sed iis a mente nostra imprimuntur, quò earum operationes suas sine errore dirigere possit.

6. *Materia igitur adæquationis seu integrum Logicae subjectum erit*: Omne ens, quatenus in eo veritas per notiones secundas inveniri possit. *Ex communi Logicorum sensu, Aben-Rhois in epit. categ. Joān. Gandavens. quest. 6. lib. 4.*

M 3

metaph.

metaph. Scal. de C. L. L. cap. 1. Nob. Flamin. quaest. Log. cap. 17.

7. Illud verò ipsum est, circa quod Logica versatur, & in quod tanquam artificiosus habitus operatur: habetq; se vel ut *Categoremata*, vel ut *Categoriae*.

Cap. 2.
De Predicabilibus, 8. *Categoremata* in *Isagoge* Porphyrij sunt delineata, & præceptis Logicis præmissa, ob usum vel κατηγορηματικόν, vel ὀριστικόν, vel διακριτικόν, vel ἀποδεικτικόν. *Isag. Porphyr. c. 1.*

9. Usus autem primarius κατηγορηματικός est, & diluciditatem suppeditat notionibus, vel singularibus, vel universalibus.

10. *Notiones singulares* sunt Individua, quæ nimirum non possunt dividi in duo ejusdem nominis, ut Alexander in duos Alexandros, hic equus in duos Equos.

11. *Notiones universales* sunt Dividua, quæ possunt in plura dividi ejusdem nominis: & prædicantur vel in **QUID**, vel in **QUALE**.

12. Si in **quid** prædicantur, aut dicunt dividuorum partem, unde *Genus*: vel totam naturam, unde *Species*.

13. Si in **quale** prædicantur, aut essentialiter prædicantur, unde *Differentia*: aut accidentaliter: sicq; rursus aut necessario & immutabiliter, unde *Proprium*: vel contingenter & mutabiliter, unde *Accidens*. Ex *Copulatis Thomæ, & Tatareto in comment. hujus loci.*

14. *Genus* est, quod de pluribus & SPECIE differentibus prædicatur, in quaestione **Quid**. γένος λέγεται τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῶ εἶδει ἐν τῷ τί ἐστὶ κατηγορούμενον. *Isagog. Porphyr. cap. 2.*

15. *Species* est, quod de pluribus & NUMERO differentibus prædicatur in **quid**. εἶδος ἐστὶ τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῶ ἀριθμῷ ἐν τῷ τί ἐστὶ κατηγορούμενον. *Isagog. Porphyr. c. 3.*

16. *Dif.*

16. *Differentia* est, quod de pluribus & specie differentibus prædicatur, in quaestione quale quid. *Porphyr. c. 4.*

17. *Proprium*, licet quatuor modis dicatur, magis tamen propriè illud est, quod omni, soli & semper alicui speciei convenit. *Porphyr. c. 5.*

18. *Accidens* est, quod adest & abest sine subjecti interitu. *συμβεβηκός ἐστίν, ὃ γίνεται καὶ ἀπὸ γίνεται, χωρὶς τῆς τῷ ὑποκειμένου Φύσεως. Porphyr. c. 6.*

19. Ex harum notionum universalium primâ & secundâ, in unaquaq; Categoria quædam dicuntur generalissima, quædam specialissima, quædam media sive subalterna.

20. *Generalissima* sunt, quibus nulla superiora sunt genera: qualia sunt nomina illa summa decem prædicamentorum.

21. *Specialissima* sunt, quibus nullæ species possunt esse inferiores: qualia sunt homo, Equus, &c. sub quibus non aliæ reperiuntur species, sed duntaxat individua.

22. *Media sive subalterna* sunt, quæ inter summa genera, & ultimas species sunt interjecta: & respectu superiorum *Species*: respectu inferiorum *Genera* vocari possunt.

23. Hæc præter, juxta viam Aristotelis in doctrina categoriarum considerandæ sunt *προθεωρίας, κατηγορίας καὶ ὑποθεωρίας.*

24. Ad *προθεωρίας* referuntur vel definitiones *Homonymorum, Synonymorum, & Paronymorum*: vel divisiones *Nominum & Rerum*: vel Regulae *Homogeneorum, Heterogeneorum & Parallelorum.*

25. *ὁμώνυμα* λέγεται, ὧν ὄνομα μόνον κοινόν, ὃ δὲ καὶ πῶς νομα

Cap. 2.
De Pro-
theoria ca-
tegoriarū.

μα λόγος τῆς ἑσίας ἔτερος. *Æquivoca dicuntur, quorum nomen solum commune est, quæ verò juxta illud nomen essentia definitio est, diversa est. lib. categor. cap. 1.*

26. Συνώνυμα λέγεται, ὅν τὸ τε ὄνομα κοινόν, καὶ ὁ κτ' τοῦνομα λόγος τῆς ἑσίας ὁ αὐτός. *Univoca dicuntur, quorum ἓ nomen commune est, ἓ quæ juxta illud nomen essentia definitio est, eadem est. Arist. ibid.*

27. Παράνομα λέγεται, ὅσα ἀπὸ τινος, διαφέρειν τῆ πλώσει, τὴν κτ' τ' ὄνομα προσήγοριαν ἔχει. *Denominativa dicuntur, quæcunq; ab aliquo casu discrepantia, juxta nomen illud appellationem habent. Arist. ibid.*

28. Ex divisione τῶν λεγομένων, quedam juxta complexionem dicuntur, quedam absq; complexione. *Arist. c. 2, lib. categ.*

29. Ex divisione τῶν ὄντων, quedam de subjecto dicuntur, in subjecto verò nullo sunt. Quedam in subjecto sunt, de subjecto v. nullo dicuntur. Quedam & de subjecto dicuntur, & in subjecto sunt. Quedam verò neq; de subjecto dicuntur, nec in subjecto sunt. *Arist. ibid.*

30. *Homogeneorum regula est: cum alterum de altero tanquam de subjecto dicitur, quicquid de attributo dicitur, idem etiam dici poterit de subjecto. Arist. ib. c. 3.*

31. *Heterogeneorum; Quorum alterum sub altero non collocatur, sunt etiam specie diversæ differentiæ, ut animalis & scientiæ. Arist. ibid.*

32. *Subalternorum generum nihil vetat easdem esse differentias: quia superiora de inferioribus prædicantur. Ibid.*

Cap. 4.
De ipsa
Theoria ca
tegoriarū.
33. His præmissis subjiciuntur ipsæ Categoriæ, τὰ
nempe κτ' μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγόμενα, quæ sunt classēs
quædam, continentes summa rerū genera, & quæcunq;
illorum complexu comprehenduntur.

34. Nume-

34. Numerantur verò ab Aristotele decem: *Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, Habitus. Aristot. lib. de categor. cap. 4.*

35. *Categoria Substantia* est, in qua Ens, per se subsistens per sua genera & species disponitur. *Arist. c. 5.*

36. *Categoria Quantitatis* est, in qua accidens, à quo magnum vel quotum aliquid dicitur, per sua genera disponitur. *Arist. cap. 6.*

37. *Categoria Relationis* est, qua ejus accidentis, quod est duorum pluriumq; unio, genera & species disponuntur. *Arist. cap. 7.*

38. *Categoria Qualitatis* est, in qua ejus accidentis, à quo subjectū quale denominatur, genera & species disponuntur. *Arist. cap. 8.*

39. *Categoria Actionis & Passionis* se invicem definiendo explicant, speciesq; & genera complectuntur, quæ vel ab agente proficiscuntur, vel à patiente recipiuntur. *Aristot. cap. 9.*

40. *Categoria Quando & Ubi* sunt dispositiones generum & specierum, à Locatione & Duratione pendentium. *Arist. ibid. cap. 9.*

41. *Categoria Situs & Habitus* sunt dispositiones generum & specierum, à certo partium corporis positu & artificiali quodam adhærente pendentium. *Aristotel. ibid.*

42. Hæ nudæ sunt *Categoriarum Descriptiones*: aliàs quoad genera rerum, quas continent, amplissimæ: quoad gradus notionum, quas complectuntur, diversissimæ: quoad modos, quibus res notionibus applicantur, distinctissimæ.

43. Amplissimæ enim rerum series in singulis reperiuntur *Categoriis*: ut videmus apud *Damasce. Blemmida*

N

dam

dam & Toletum; Ex quibus Bartholom. Keckermannus & Petr. Bertius tabellas magno labore confecerunt, & posterorum utilitati reliquerunt.

44. Sic in qualibet Categoria gradus notionum proponuntur diversissimi: quorum alij, *notante Crello*, primarij sunt, alij secundarii: Illi verò vel Directi, *ut Genera & Species*: vel collaterales, *ut Differentia*. Hi verò sunt *Individua*.

45. Ante deniq; series & gradus, *Modi* sunt considerandi, quibus res in Categorias recipiuntur. Res enim aut omninò non referuntur, aut, si referuntur, non tamen eodem modo reducuntur ad Categorias.

46. Quæ ad eas non referuntur, sunt Entia infinita, æquivoca *ante factam distinctionem*; Entia ficta, Impossibilia.

47. Quæ verò ad eas referuntur, vel directè, vel indirectè.

48. Quæ directè referuntur, duodecim debent munita esse conditionibus, ut sint entia vera, univoca, per se, simplicia, possibilia, universalia, actualia, realia, finita, completa, positiva, & determinativa.

49. Quæ deniq; indirectè ad eas referuntur, vel obliquè, *ut differentia*: vel reductivè, *ut Entia æquivoca, singularia, concreta, aggregativa, collectiva & partialia*: vel per accidens, *ut complexa, intentionalia, privativa & ficta*.

50. De proprietatibus cujuslibet Categoriae, ut etiam de ijs, quæ sequuntur Categorias, & commentarij loco adjecta sunt, videri poterit *Aristoteles*, ejusq; interpretes, in specie post Thomistas, *Toletus, Rubens, Scaynus, Granensis, Hildenius & alij. ad Cap. 10. lib. cat. usq; ad finem*.

51. Nunc præcognitâ ad subjectû operationis manu-ducti-

*De Hypo-
theorijs
categoria-
rum.*

ductione: sequuntur partes Logicæ, quas nostri instituti ratione constituemus vel Generales, vel Speciales.

52. Generales juxta operationes mentis considerant vel τὴν νόησιν ἀδιαίρετων, vel σύνθεσιν καὶ διαίρεσιν, vel διάνοιαν. Aut si placet dichotomia, considerant vel ἐξηγήσειαν *Interpretationem*, vel διάνοιαν *Discursum*.

53. Ἐξηγήσεια autem est vel *Simplex*, primæ mentis operationi respondens: vel *Conjuncta*, respondens secundæ. *Arist. in lib. de interpret. cap. 1.*

Cap. 5.
De Nomi-
ne & Ver-
bo.

54. Ad simplicem refertur explicatio Nominis & Verbi.

55. *Nomen* est vox significans ex instituto absq; tempore, cujus nulla pars significat separatim. ὄνομα ἐστὶ φωνὴ σημαντικὴ καὶ συνήκην ἀνευ χρόνου, ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντικὸν κεχωρισμένον. *Arist. ibid. c. 2.*

56. *Verbum* est, quod ad significat tempus, cujus nulla pars significat separatim, semperq; signum est eorum, quæ de alio dicuntur, ῥήμα ἐστὶ τὸ προσσημαῖνον χρόνον, ἃ μέρος ἔδὲν σημαίνει χωρὶς, καὶ ἐστὶν αἰετῶν καθ' ἑτέρας λεγομένων σημείον. *Arist. ibid. c. 3.*

57. Ad conjunctam refertur Ἀπόφανσις *Enuntiatio*, ex nomine & verbo sub conceptu subjecti & prædicati orta: Et definitur ὁ λόγος, ἐν ᾧ πρῶτως τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεῦδ. ἃ ὑπάρχει oratio, in qua primò inest verum aut falsum. *Arist. cap. 4.*

Cap. 6.
De Enun-
tiatione.

58. Hujus spectatur tum *Constitutio*, tum *Divisio*, tum *Affectio*.

59. *Constitutio* est ex partibus materialibus, *subjecto*, & *prædicato*: formali, ut *copula*. *Arist. ib. cap. 5.*

60. *Subjectum* est de quo aliquid dicitur. *Prædicatum* est id, quod in alio dicitur. *Copula* est ipsum προστιθέμενον, per quod connectitur prædicatum cum subjecto. *Vide de interpret. cap. 12. §. 4. 1. prior. 1. §. 8.*

61. *Divisio*, juxta viam Aristotelis, potissimum est quadruplex: *una* desumitur ex Essentia: *altera*, à Qualitate: *tertia*, à Quantitate: *quarta*, ex diversa Enuntian- di ratione.

Enuncia- tio una & multiplex. 62. *Ab Essentia*, Enuntiatio dicitur vel ἀπλή, *simplex*, vel ἐκ τῶν συγχευμένων, *ex simplicibus composita*. Arist. de in- terpret. cap. 5. & 8.

63. *Simplex* est vox, significans inesse aliquid, aut non inesse, prout tempora divisa sunt.

64. *Composita* est, quæ constat ex pluribus simplici- bus: Estq; una συνθέσει sive συνδέσμῳ.

65. *Ab una simplici & composita* distinguitur *multi- plex*, quæ multa non unum significat, ut canis movetur: vel συνδέσμῳ non est copulata, ut Magnanimitas, Fortitu- do, Temperantia est virtus.

Enūciatio affirm. & neg. 66. *A qualitate* Enunciatio dicitur vel Affirmata, vel Negata. Illa est oratio alicujus de aliquo: Hæc oratio a- licujus ab aliquo. Arist. ib. cap. 6.

Enūciatio univ. par- ticul. in- def. singul. 67. *A Quantitate* est vel universalis, in qua subjecto si- gnum universale adheret: vel Particularis, in qua particu- lare: vel Indefinita, in qua subjectum nullo omnino signo de- finitum: vel Singularis, in qua subjectum est singulare. Arist. ibid. c. 7.

Enūciatio pura & modalis. 68. *Ex varia Enuntian- di ratione*, alia est Pura, qua si- ne modo: alia Modalis, quæ cum modo effertur.

69. *Pura* iterum ex diversa verbi affectione vel est Secundi adjacentis, ut, homo est: vel Tertij, ut homo est sa- piens. Arist. ib. c. 10.

70. Enunciatio *secundi adjacentis* fieri potest de subjecto, vel Finita, ut, Homo est: vel Infinita, ut, Non homo est. Quod ipsum nunquam valet de prædicato infinito.

71. *É contrario, tertij adjecti* Enuntiatio, tam de subje- cto

ēto, quā prädicato fieri potest & finita, & infinita: sicq;
fit quadrimembris, ut *Homo est justus: Non homo est justus:*
Homo est non justus: Et, Non homo est non justus.

72. *Modalis* ab aliquo horum quatuor modorum si-
bi adjuncto denominatur: *Necesse, Possibile, Contingens,*
Impossibile: ἀναγκάσιον, δυνατόν, ἐνδεχόμενον, ἀδύνατον.

73. Sic de divisionibus: sequuntur tres Affectiones.
Oppositio, Consecutio & Conversio.

74. *Oppositio* est Enuntiationum quædam inter se vel- *Oppositio.*
uti pugna: Estq; vel contradictoria, vel contraria, vel
subcontraria. *Arist. ibid. cap. 12.*

75. *Contradictoria* est, cū pugna est inter universa-
lem affirmatam, & particularem negatam: ut, *Omnis ho-*
mo est albus: Quidam homo non est albus. Item, inter parti-
cularem affirmatam, & universalem negatam, ut, *Qui-*
dam homo est albus: Nullus homo est albus.

76. *Contraria* est oppositio duarum propositionum
universalium, secundum qualitatem repugnantium, ut
Omnis homo est albus: Nullus homo est albus.

77. *Subcontraria* est oppositio duarum propositionū
particularium, secundum qualitatem repugnantium:
ut, *Quidam homo est ater: Quidam homo non est ater.*

78. *Consecutio seu Equipollentia* est quasi reconcilia- *Cōsecutio.*
trix propositionum oppositarum, à varijs signis prove-
niens: Cujus usus pertinet ad obscuras propositiones, in
clariore resolvendas. *Arist. ib. c. 13.*

79. *Conversio* est subjecti in prædicatum, & contra *Conversio.*
prædicati in subjectum commutatio, quæ in enuntiati-
one ante mutationem dicitur convertenda: post eam,
conversa. *Ex. 2. prior. analyt. c. 8.*

80. Hujus tres species: simplex, per accidens, & per
contrapositionem.

81. *Simplex est, quando ex subjecto prædicatum, & ex prædicato subjectum fit, manente eadem qualitate & quantitate extremorum. Ita convertuntur Universalis Negativa, & particularis affirmativa.*

82. *Per accidens conversio est, quando extrema mutantur, manente eadem qualitate, sed mutata quãtitate. Sic universalis affirmata cõvertitur in particulare affirmatã: & negata universalis in particularem negatam.*

83. *Conversio per contrapositionem est, quando manente eadem qualitate & quantitate mutantur extrema; sed permutatis terminis finitis in infinitos. Talis est universalis affirmantis in universalem affirmantem: & particularis negantis in particularem negantem.*

Cap. 7.
De Syllogismo immateriali.

84. *Ex Enuntiationum, seu ut rectius loquitur Aristoteles, propositionum legitima dispositione fabricatur Syllogismus: Qui iterum consideratur vel ut Immaterialis, vel ut Materialis.*

85. *Immaterialis syllogismus definitur λόγος, ὅς ἐστι τῶν τεθέντων τινῶν, ἐπεὶ ἐστὶν τι τῶν κειμένων, ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, τῶ ταῦτα εἶναι, καὶ οὕτως, in qua positis quibusdam diversum ab ijs, qua posita sunt, ex necessitate sequitur. i. prior. anal. i.*

86. *Hujus Syllogismi, ut & sequentium considerabimus, cum Constitutionem, tum Divisionem.*

87. *Constitutio complectitur principia syllogismi, quæ docent quo modo ex terminis & propositionibus apte fiat Syllogismus.*

88. *Principia igitur Syllogismi sunt vel Materialia, Formalia, Regulativa & Perfectiva.*

89. *Materialia simul & Formalia, iterum vel Propinqua, vel Remota.*

Tres termini.

90. *Materialia remota sunt tres termini; vel Extremi, ut Major, qui est prædicatum, & Minor, qui est subjectum*

con-

conclusionis, vel Medius, qui cum majore & minore conjungitur, locumq; medium occupat.

91. *Materialia propinqua* sunt tres propositiones; *Tres pro-*
vel *inferentes*, ab Aristotele *διασμηνα* vocatae; cum *Major*, *positiones.*
quae alias simpliciter *Propositio* dicitur: tum *Minor*, quae
subsumptio indigitatur: vel *illata*, unde *Conclusio*.

92. *Formalia remota* sunt tres figurae syllogismorum, *Tres Figu-*
quae ex varia & naturali conjunctione medij termini cum *ra.*
utroq; extremo oriuntur. Si enim medius terminus in
praemissis ponitur bis loco subjecti, *oritur Tertia*: bis lo-
co praedicati, *oritur Secunda*: semel loco subjecti in ma-
jore, semel loco praedicati in minore, *oritur Prima figura*.

93. *Formalia propinqua* dicuntur *Modi*, qui sunt sumpti- *Tres modi.*
onum ad conclusionem colligendam, aptae secundum
quantitatem & qualitatem complicationes: suntq; va-
rij, & versibus sequentibus exprimi solent:

Barbara, Celarent PRIMAE, Darij, Ferioq;

Cesare, Camestres, Festino, Baroco SECUNDAE:

TERTIA grande sonans edit Darapti, Felapton;

Adjungens Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

94. *Regulativa* porro principia sunt vel *Generalia*, *Dicta de*
vel *Specialia*. *omni &*

95. *Generalia* sunt dicta de omni & de nullo, quae ra- *de nullo.*
dices & fundamenta omnium syllogismorum conclu-
dentium vocantur. *ab Aben Rhoë in epit. 1. prior. c. 5.*

96. *Dici de omni* significat, nihil posse sumi sub subje-
cto majoris distributo, de quo non dicatur praedica-
tum.

97. *Dici de nullo* significat, nihil posse sumi sub sub-
jecto majoris distributo, de quo non negetur praedica-
tum.

98. *Specialia* sunt Figurae vel *PRIMAE*, ut major sit u- *Regulae fi-*
niver- *gurarum*
Specialium

niversalis, minor affirmata : ut concludat in omnibus quæstionibus. SECUNDÆ, ut una præmissarū semper negativa, altera affirmativa : ut conclusio semper negata. TERTIÆ, ut minor sit affirmativa, ut conclusio sit particularis. *Arist. 1. prior. anal. c. 7.*

99. *Perfectiva* principia sunt, quibus syllogismi, qui apparent esse imperfecti, fiunt perfecti, suntq; vel *Expositio*, vel *Reductio*.

Expositio. 100. *Expositio* eadem formâ, qua syllogismus tertiæ figuræ, concludit, nisi quod medium singulare assumptum sit.

Reductio. 101. *Reductio* est vel *Ostensiva*, quando per solam conversionem terminorum, & transpositionem propositionum reducuntur: vel *per Impossibile*, quæ adversarium ad absurdum deducit, & sic obliquè perfectionē ostēdit.

Species Syllogismi. 102. Sic de constitutione : sequitur *Divisio* : quâ pro varia consideratione Syllogismus dividitur in Principalem, & minus principalem.

103. *Principalis* iterum dividitur vel à Ratione formandi, vel à vi argumentandi.

104. A *ratione formandi* dividitur, vel ex *Quantitate*, vel ex *Qualitate*, vel ex *Terminis*.

105. Ex *Quantitate* dividitur in universalem, qui habet conclusionem universalem; & Particularem, qui particularem.

106. Ex *Qualitate*, in Affirmativum, cujus conclusio affirmata: & Negatum, cujus negata.

107. Ex terminis, in Finitum, qui constat terminis finitis: & Infinitum, qui infinitis: Item in Absolutum, & Modalem.

108. Porrò à vi argumentandi Syllogismus dividitur in *Perfectum*, & *Imperfectum*: quorum ille est primæ figuræ;

ræ; *Hic* secundæ & tertiæ: *Ille* evidenter; *Hic* apparenter
ratione formæ concludit: *Ille* comprehendit omnis ge-
neris conclusiones: *Hic* vel negates tantum, ut in secūda:
vel particulares, ut in tertia: *Ille* nulla re ad cōciliationē
majoris evidētiæ opo habet: *Hic* Reduct. & Expositione.

109. Sic de principali syllogismo, ex propositionib9
propriè ita dictis constructo: sequitur *minus principalis*,
qui constituitur ex propositionibus, vel magis simplici-
bus, vel magis compositis.

110. Syllogismus constans propositionibus *magis sim-
plicibus*, vel minuit numerum propositionum ternari-
um, unde *Entbymema*: vel excedit, unde *Inductio*, *Exem-
plum*, & *Sorites*.

111. Syllogismus constans propositionibus *magis
compositis*, pro vario *συνθεσµω* iterum variè dividi posset:
sed ad Materialem syllogismum properandum.

112. *Materialis* syllogismus pro consideratione du-
plicis Materiæ dividitur, vel in Verum, eumq; Necessa-
rium; unde *Demonstrativus*: Et contingentem, unde *Dia-
lecticus*: vel Apparentem, unde *Sophisticus*.

113. Syllogismus demonstrativus uno nomine voca-
tur *ἀποδείξις*, & definitur, quòd sit *ἐπιστηµονικὸς*, scientiam
pariens. 1. poster. 2. §. 5. 2. prior. 16. §. 1. Cap. 8.
De Demō-
stratione.

114. Huj9 iterū cōsideratur, cūm cōstitutio, tū divisio.

115. *Constitutio* comprehendit Principia vel Materi-
alia, vel Formalia, vel Canonica, vel Perfectiva.

116. *Materialia remota* sunt tres termini, qui in De-
monstratione vocantur tria præcognita, nempe *Subje-
ctum*, *Principium* & *Affectio*. Horum consideranda Dispo-
sitio & Conditio.

117. *Dispositio* est, ut locum minoris termini sortiatur
Subiectum: majoris, *Affectio*: *Medij*, *Principium*.

O

118. Con:

118. *Conditio*: ut affectio per se & universaliter insit
subjecto: *Subjectum* verò, cum principiis, tum affectio-
nibus substat: *Principia* deniq; & subjectum constituent,
& in constituto subjecto affectiones producant.

119. *Principia Materialia propinqua*, sunt propositio-
nes immediatæ: quarum nonnullæ præcognoscuntur ab
auditore antequàm ad Doctorem veniat: & sunt disci-
plinarum vel omnium communes, unde *πρωτάσις*, ut *de*
unaquaq; re, vera est aut affirmatio, aut negatio: vel certarum
propria, unde *ἀξιώματα*, ut, *Quæ eidem tertio sunt equalia,*
ea inter se sunt equalia. Nonnullæ non præcognoscuntur,
sed prout à Doctore ponuntur, ita à discipulo tanquam
veræ admittuntur, & vocantur *θέσις*; quæ iterum expli-
cant vel quòd res sit, unde *ὄρησις*: vel ponunt aliquid esse,
vel nō esse, ex altera cōtradictionis parte, unde *ὑποθέσις*.

120. *Principia demonstrationis formalia*, quæ figurā &
modum necessitatis manifestant. Figura n. non quævis,
aut quivis modus syllogismos efficit necessarios; sed *pri-
ma* tantum ceu perfectissima, demonstrationi aptissima
est, ejusq; modus *primus* Barbara.

*Tres gra-
dus neces-
sitaris.* 121. *Principia Canonica* sunt tria; Per quæ immutabi-
lis necessitas probatur, nempe *κατὰ παντός, καθ' αὐτό, & καθόλου πρῶτον*.

122. *κατὰ παντός* seu *de omni* dicitur, cum prædicatum
subjecto inest, & omni, & semper.

123. *καθ' αὐτό* seu *per se* dicitur, cum præter prædicati
universalem & perpetuam inhaerentiam, etiam essenti-
alis requiritur partium propositionis nexus.

124. *καθόλου πρῶτον* seu *universale primum* dicitur, cum
præter *κατὰ παντός* & *καθ' αὐτό*, subjectum & prædicatum
æqualiter reciprocantur.

125. Principij perfectivi loco in Demonstratione
confi-

considerari potest **R E G R E S S U S**, quando per unam demonstrationem regredimur à conclusione demonstrata ad præmissas demonstrandas.

126. Et sic constitutio: Sequitur Divisio, quæ species sub se continet, quibus demonstrationis Essentia, natura & principia non æqualiter conveniunt omnibus: sed illi potissimum speciei, quæ primariò & propriè ita dicitur.

127. Sunt autem duæ species demonstrationis, quarum una Demonstratio τῆ διότι, propter quid; altera verò τῆ ὅτι, **Q U O D** vocatur. Species Demonstrationis διότι ὅτι

128. Τῆ διότι Demonstratio seu ἀπλῶς ἀπόδειξις est, ubi per proximam causam affectio propria de subjecto suo demonstratur, & ubi omnes quoq; necessitatis gradus, in qualibet propositione, cum reliquis principijs, excepto regressu observantur.

129. Ab hac plurimum discedit τῆ ὅτι demonstratio, seu κτ' σημαίαν ἀπόδειξις, quia tantum in quibusdam conditionibus cum priori convenit: Unde etiam Demonstratio per participationem vocatur.

130. Est autem in duplici differentia; quia vel Effectu proprio causam esse demonstrat: vel etiam à causa remotiori colligit Effectum.

131. Prior autem modus, cum tantum demonstret, quod illa principia insunt, non verò propter quid insint, ideò demonstrationem perfectam non efficit, quia deficit in eo, quod medius terminus non sit causa majoris extremi, sed potius Effectus.

132. Interim beneficio *Regressus* statim in demonstrationem τῆ διότι converti potest: quando scilicet major simpliciter convertitur, minor loco moveatur, & sit conclusio, atq; in minoris locum prior conclusio transfertur.

C. 23. 133. Quo

133. Quo nomine etiam multò major in ea est necessitas, quàm in demonstratione *posterioris modi*, quæ procedit à causa remota, & omnium est infirmissima.

Cap. 9.

De Syllogismo Dialectico.

134. Hactenus etiam de syllogismo demonstrativo: sequitur *Dialecticus*, una voce *ἐπιχειρηματικὸς* ab Aristotele vocatus, qui ex probabilibus ratiocinatur.

135. *Probabilia* autem sunt, quæ vel omnibus, vel pluribus, vel sapientibus, atq; his vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis & claris videntur esse vera.

136. Hujus etiã cõsideratur, tũ Constitutio, tũ Divisio.

137. Constitutio respicit partes, vel Materiales, vel Formales.

138. *Materiales Remota* sunt subjectum & prædicatũ, ex quibus problemata & propositiones conficiuntur.

139. *De subjecto* nihil tractare solent autores, quia *Dialecticus* nulli certo subjecto est adstrictus, sed in omnibus rebus versatur, & de omnibus disceptat.

140. *Attributa* sunt quatuor, Accidens, Genus, Proprium & Definitio: quæ *Dialectico* simul ac demonstrativo inserviunt Syllogismo. *Huic* quatenus prædicatum subjecto re ipsa, & essentialiter inest: *Illi*, quatenus in animo tantum sunt, h. e. non rem ipsam, sed modum prædicandi efficiunt. ut notavit *Aben-Rhodes*, & ex eo *Zabarella 1. Poster. §. 3.*

141. *Materiales propinqua* sunt, Propositio & Problema: quæ solo modo differunt, seu diversa interrogandi ratione. Nã propositio est interrogatio probabilis, quæ apertè interrogare dicitur, quatenus unam duntaxat interrogationis notam exprimit, veluti: *Estne animal genus hominis?* Problema v. est interrogatio probabilis, cū utroq; contradictionis modo, de affirmatione & negatione simul quærens, veluti: *Estne animal genus hominis, nec ne?* 1. *Top. 10. §. 11.*

142. Partes

142. Partes formales sunt Argumentorum formæ & probandi rationes, quæ eadem sunt, quæ fuerunt in prioribus analyticis, per inductionem scilicet & syllogismum: 1. Top. c. 12.

143. Sic constitutio; sequitur divisio, sub qua continentur species Syllogismi, ex varia prædicati probabilis consideratione deductæ. Quando n. prædicatū de subiecto dicitur, tum vel cum eo reciprocatur, vel non: Si illud, aut naturam subiecti exprimit, unde *Definitio*: aut non exprimit, unde *Proprium*: Sin hoc, vel est definitionis pars, ut *Genus*: vel contra, unde *Accidens*.

144. Syllogismus igitur Accidentalisis dici potest, cuius attributum est Accidens. Hoc cum latissimum, Arist. totum lib. 2. Top. unà cum 3. in ejusdem declaratione consumit, proponitq; varia axiomata & præcepta, quæ in disputatione principiorum loco adhibentur.

145. Sic Genericus Syllogismus dici potest, cuius attributum est Genus: in quo explicando lib. 4. Top. laborat.

146. Syllogismus proprii nominari potest, cuius attributū est propriū: de quo plurima tractatur. lib. 5. Top.

147. Syllogismus deniq; Definitivus, cuius attributū definitio: de quo lib. 6. Top. ut de Identitate & diversitate, lib. 7. Topic.

148. Sic etiam de vero syllogismo duplici, Demonstrativo nempe & Dialectico: Restat *Apparens*, qui quando mentitur necessitatem, est *Pseudographus*: quando probabilitatem, est *Sophisticus*.

Cap. 10.
De Syllogismo apparenti.

149. Hic constitutus est ex propositionibus, quæ tales, ut profitentur, esse videntur, sed non sunt: veluti scoria in metallis videtur aurū: fucus in hominibus pulchritudo: tumida cōstitutio in corpore, nativus pinguedinis habitus

150. Hujus aut apparentia & fallacia in specie peccat, vel In dictione, vel Extra dictionem.

151. Syl-

151. Syllogismi *in dictione* peccantes sunt, ubi ambiguitas magis in verbis, quā in rebus hæret; ut sunt *Æquivocatio, Amphibolia, Copositio, Divisio, Profodia, & Figura dictionis.*

152. Syllogismi *Extra dictionem* peccantes sunt, quæ res ipsas magis spectant: ut sunt *Fallacia accidentis, A dicto secundum quid, secundum non causam ut causam, consequentis, secundum plures interrogationes, Petitio principij, & Ignoratio Elenchi.*

153. Atq; sic etiam expediimus syllogismū, tam Immaterialem, quā Materialem, adeoq; *διάνοιαν* inferentem: Restat *Ordinans*, quæ est directio omnium ultima & perfectissima, in qua omnes mentis operationes cōcurrunt, ut loquitur *Philipp. Mocenic. contempl. 2. part. 1. cap. 1.*

Cap. 11.
De Ordine.

154. Hæc uno nomine *τάξις* seu ordo vocatur, & definitur *ἔξις ὁδοπειτικῆ μετὰ λόγῃ*: quam definitionem Philopono attribuit Montanus Medicus *in princ. Medic. univ.* Eustratio Hemmingius Theolog. *in 1. Tract. de Method.*

155. Estq; ordo vel Universalis, quo aliquam totam disciplinam: vel Particularis, quo partem tantum disciplinæ disponimus.

156. Universalis iterum vel Syntheticus, cum acceptis partibus totum ipsum exædificamus: Vel Resolutivus, cum totum in suas partes resolvimus.

157. Particularis est vel Thematis simplicis vel cōjuncti

158. Ordo Thematis simplicis declaratur à Philippo per decem quæstiones: quæ à nonnullis ad quatuor Aristotelis *ἐπιστημονικὰς* reducuntur, *εἰ ἔστι, τί ἔστι, ὅτι καὶ διότι.*

159. Ordo Thematis compositi pro materia consideratione, vel coarctari vel dilatarari potest.

160. Finitā jam Logicæ generalis delineatione, agendum esset de speciali, nempe de praxi Logicæ, tã Synthetica, quā Analytica. Sed ne nimium excrescant aphorismi, & illā, & istā alteri labori & loco cū bono Deo destinabimus.

Coll. diss. A. 28, misc. 31